

quatiuntur, quoniam hic aestatis causa obstat, illic hyemis. Item noctu sepius quam interdiu. Maximi autem motus existunt matutini vespertiniq; sed propinqua luce crebri. Interdiu autem circa meridiem sunt, & solis lunaeq; defectu, quoniam tempestates tunc sopiuntur. Praecipue vero cum sequitur imbrem aestus, imbresue aestum.

Signa motus futuri. CAP. LXXXI.

Navigantes quoq; sentiunt non dubia coniectura, sine flatu intumescente fluctu subito, aut quatiente ictu. Intremunt vero & in nauibus posita, aequae q̄ in aedificijs, crepituq; p̄nuntiant. Quin & volucres non impaudae sedent. * Est & in caelo signum, praeceditq; motu futuro, aut interdiu, aut paulo post occasum sereno ceu tenuis linea nubis in longum porrecta spatium. Est & in puteis turbidior aqua, nec sine odoris tadio.

Auxilia contra motus futuros. CAP. LXXXII.

Sicut in istis est remedium, * quale & crebri specus p̄bent. Praconceptum enim spiritum exhalat, quod in certis * notatur oppidis, q̄ minus quatiuntur, crebris ad eluuiem cuniculis cauata. Multoq; sunt tutiora in istis illis quae pendent, sicut Neapoli in Italia intelligitur: parte eius quae solida est, ad tales casus obnoxia. Tutissimi sunt aedificiorum fornice, anguli quoq; parietum, postesq; alterno pulsu renitentes. Et latere terreno facti parietes minore noxa quatiuntur. Magna differentia est & in ipso genere motus, pluribus siquidem modis quatiuntur. Tutissimum est, cum vibrat crispante aedificiorum crepitu, & cum intumescit assurgens, alternoq; motu residet: innoxium & cum concurrentia tecta contrario ictu arietant, quoniam alter motus alteri renititur. Vndantis inclinatio, & fluctus more quadam uolutatio infesta est: aut cum in unam partem totus se motus impellit. Desinunt autem tremores, cum ventus emerfit: sin uero durauere, non ante quadraginta dies sistuntur: plerumque & tardius, utpote cum quidam annuo et biennij spatio durauerint.

Portenta terrarum semel visa. CAP. LXXXIII.

Factum * est semel, quod equidem in Hetrusca disciplina uoluminibus inueni, ingens terrarum portentum L. Marcio, Sex. Iulio COSS. in agro Mutinensi. Naq; motes duo inter se concurrerunt, crepitu maximo assultates recedentesq; inter eos flamma fumoq; in caelum exeunte interdiu, spectante e via Aemilia magna equitum Romanorum, familiarumq; & viatorum multitudine. Eo concursu villa omnes elisa, animalia permulta q̄ intra fuerant examinata sunt, anno ante sociale bellum: quod haud scio an funestius ipsi terrae Italiae fuerit, q̄ ciuilia. Non minus mirum ostentum et nostra cognouit aetas, anno Neronis principis supremo, sicut in rebus eius exposuimus, pratis oleisque intercedente uia publica in contrarias sedes transgressis, in agro Marrucino, praedijs Vectij Marcelli equitis Romani, res Neronis procurantis.

Miracula terrae motus. CAP. LXXXIIII.

Funt simul cum terrae motu et inundationes maris, eodem videlicet spiritu infusi, aut residentis sinu recepti. Maximus terrae memoria mortaliu extitit motus, Tiberij Caesaris principatu, XII. urbibus Asiae una nocte prostratis. Creberrimus Punico bello, intra eundem annum septies atq; quinquagies nunciatus Romae. Quo quidem anno ad Trasymenium lacum dimicantes, maximum motum neq; Poeni sentire, nec Romani. Nec uero simplex malum, aut in ipso tantum motu periculum est, sed par aut maius * ostentum. Nunquam urbs Roma tremuit, ut non futuri euentus alicuius id praenuncium esset.

Quibus locis maria recesserint. CAP. LXXXV.

Eadem nascendi causa terrarum est, cum idem ille spiritus attollendo potes solo, non ualuit erumpere. Nascuntur enim nec fluminum tantum in euctu, sicut Echinades insulae ab Acheloo amne coegesta, maiorq; pars Aegypti a Nilo, in qua a Pharo insula noctis & diei cursum fuisse Homero credimus, sed & recessu maris, sicut eidem de Circeijs: Quod accidisse & in Ambraciae portu decem milium passuum interuallo, et Atheniensium quinq; milium ad Piraeum memoratur. Et Ephesi, ubi quondam adem Dianae alluebat. Herodoto quidem si credimus, mare fuit supra Mephim usq; ad Aethiopi motes: iteq; a planis Arabiae. Mare & circa Ilium, et tota Teuthrania, quaq; capos intulerit Maeander.

Ratio insularum enascentium. CAP. LXXXVI.

Nascuntur et alio modo terrae, ac repete in aliquo mari emergunt, uelut paria secum faciente natura, quaq; hauserit hiatus, alio loco reddete. Quae, & quibus temporibus enatae sunt.

CAP. LXXXVII.

Clarae iam pridem insulae, Delos et Rhodos, memoriae produntur enatae. Postea minores, ultra Melon Anaphe: inter Lemnum et Hollespotum, Nea: inter Lebedum et Teon, Alone: inter Cycladas olympiadis cxxxv. anno quarto, Thera et Therasia. Inter easdem post annos cxxx. Hiera, eademq; Automate. Et ab ea duobus stadiis post annos cx. in nostro aeuo, M. Iunio Syllano, L. Balbo COSS. ad 8. Idus Iulias, Thia.

Quas terras interruperint maria.

CAP. LXXXVIII.

Ante nos et iuxta Italiam inter Aeolias insulas, inter iuxta Cretam emerfit e mari M. D. passuum, una cum calidis fontibus, altera olympiadis cxliij. anno tertio in Thusco sinu, flagrans haec uiolento cum flatu. Proditurq; memoria magna circa illam multitudine piscium fluitante, coestim expirasse quibus ex his cibus fuisset. Sic et Pithecusae in Campano sinu ferunt ortas. Mox in his montes Epopon, cum repente flamma ex eo emicuisset, campestri aequatum planicie. In eadem & oppidum haustum profundo: alioque motu terrae stagnum emerfisse: & alio prouolutis montibus insulam extitisse Prochitam. Nanque & hoc modo insulas rerum natura fecit. Auellit Siciliam

* Sed & in caelo signum praecedit motu

* quale cloacae & creb.

* tutis.

10

20

30

40

50

* ostento

* alio

* est & hoc semel

* etiam * ubi est * amittit *